



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Illius loco Cornelius Visbauæus venit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

redditurus eas literas esset, ne grauaretur audire cō-
 filia, & quas exercēdæ mentis vias idē proponeret,
 experiri. Eas literas vbi Nicolaus accepit, & Stra-
 dam vidit hominem tanto se ætate inferiorem, si-
 bi vetusto Magistro superuacaneum putauit im-
 berbis penè adolescentis subire dictata. Tum Stra-
 da, At certè, inquit, si quem nosti diuinarum re-
 rum studiosum, quicum agi de Euangelica perfe-
 ctione queat, eum mihi tuo loco vicariū assigna.
 Respondit ille esse Louanij veterem sibi amicum
 Cornelium Vishaucum peregregium Sacerdotē,
 ac Dei famulum, ad eum sese literas Stradæ ipsi da-
 turum, vti dedit. Quas vbi Strada Cornelio reddi-
 dit, continuò ex eius conspectu eripuit sese. Cor-
 nelius autem mox lectis Nicolai literis, Stradæq;
 incensus noscendi cupidine, tacito Deiparæ ad-
 monitu, quo loco sibi esset ille reperiendus co-
 gnouit: in itaque familiaritate, Societati se penitus
 consecrauit, magno cum suo, tum Louanienfium
 Sociorum bono; quos domum suam recepit. Non
 igitur ad ipsum Cornelium scripsit Canisius, neq;
 condiscipulus eius in vlllo genere siue pietatis, siue
 literarum fuit, sed dum Nicolaum suum aduocat,
 is maluit ad obedientiæ iugum vicarium mittere,
 quàm

*Illi loco Cor-
 nelius Vishau-
 cus venit,*

quàm venire: adeo vocationis religiosæ benefici-
cium singulare est.

Sub hæc Fabro iam, vt in Lusitaniam perge-
ret, digressio Colonia, Canisius quoq; trepidè No-
uomagum accitur, quod Iacobus eius Pater peri-
culosè decumberet. Cōtinuò accurrit, vt quod in
se opis, officiiq; esset, tali tempore siue ad valetu-
dinem, siue ad migrationem pius filius bono Pa-
renti exhiberet. Sed, vt in ægri conspectum venit,
is, siue ex dulcissimi, amantiissimi que filij optatissi-
ma præsentia lætitiæ repentinæ obrutus impetu, si-
ue alio percussus ictu fragilitatis humanæ, exem-
plo animam exhalauit. Mœstissimus inde Petrus,
non tam propterea, quod cui vitam, si posset, red-
diturus veniebat, attulisse, siue properasse mortem
videretur; quàm quod supremum illud æternita-
tis negotium, ita raptim subitoque sectum esset,
dum supplex, ac lachrymans animæ illi diuinam
misericordiam implorat, de statu eius hærens, atq;
sollicitus præsertim quod succurrebat, quã multa
hominem, quamque grauiam priuatim, ac publicè
implicuissent negotia, placuit diuinæ bonitati
consolari pium filium, ostenditq; non Iacobum
modò Patrem, sed & olim vita perfunctam Ægi-
diam

parentum
saluas ani-
mas diuini-
tus cognoscit.